



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. Unic. Utrùm in Deo sit Scientia, & qualis sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

sub lege naturæ, vel sub Mosaica fuerunt, non accepisse repromissionem, aut supplendas esse has voces, ante adventum Christi, & ejus in cælos ascensionem, ut innuere videntur hæc verba, *Deo pro nobis melius aliquid providente*: nam Sancti omnes ante adventum Christi, & ejus ascensionem, in limbo fuerunt, ex quo postea à Christo educti, una cum illo ascenderunt in cælum, secundum hæc Davidis verba, ab Apostolo laudata Eph. cap. 4. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*: Sancti verò in lege gratiæ, ubi primum purgati omnino sunt, assumuntur in cælum, ut ibi clara divinitatis contemplatione fruantur: aut Apostolus intelligendus est de repromissione completæ & consummatæ beatitudinis, quæ præter gloriam animæ, corporis gloriam complectitur. Quam interpretationem suggerunt Apostoli verba: non enim dicit, ut non sine nobis bearentur; sed, *ut non sine nobis consummarentur*.

DISPUTATIO VI.

DISPUTATIO VI.

Hanc disputationem majoris claritatis gratia dividimus in plures questiones, in quarum prima agemus de existentia scientiæ divinæ, & ejus dotibus. In secunda, de cognitione Dei circa se ipsum, possibilia, & res aliquando existentes. In tertia, de medio in quo Deus possibilia, & res aliquando existentes cognoscit. In quarta, de cognitione Dei circa futuribilia, hoc est, ut communius dicitur, circa actus liberos creaturæ rationalis sub conditione aliqua futuros, quos, ad vitandam equivocationem, in quonon parum laborant adversarii nostri, aptius futuribiles, quam futuros vocari posse judicamus. In quinta, de scientia media, quam à scientia futuribilium diversam esse adversarii nostri contendunt. In sexta denique, de divisionibus scientiæ divinæ, & ideis divinis.

Q U Æ S T I O I.

De existentia scientiæ divinæ, & ejus dotibus.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum in Deo sit scientia, & qualis sit.

R E S P O N S I O I.

Deus habet scientiam. Est de fide.

Prob. 1. ex Script. Nam dicitur Psal. 138. *Domine, tu cognovisti omnia.* Et Esther c. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Et Rom. c. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* 2. Ratione. Nam Deus non potest non habere omnes perfectiones, quæ relucent in idea entis, quo nihil melius esse & cogitari potest. Talis autem est scientia, quæ est magna perfectio, nec aliam majorem aut æqualem excludit à subjecto suo. Ergo, &c.

R E S P O N S I O II.

Scientia Dei non est habitus, neque actus à Deo realiter distinctus.

Prob. Nam si scientia Dei esset habitus, vel esset qualitas simplex, vel aggregatum ex multis speciebus certorum actuum, facilitans ad similes actus. Atqui utrumque repugnat summæ simplicitati divinæ: non enim stare potest cum reali compositione intellectus divini cum qualitate aliqua, vel congerie specierum. Propter eandem rationem scientia Dei non potest esse actus realiter distinctus à Deo, quia realis ejus unio cum intellectu divino impediret summam Dei simplicitatem. Itaque scientia Dei est ipsa Dei substantia, non simpliciter, sed cum addito, nempe Dei substantia se ipsa vitaliter tendens sic; & facilitas, quam Deus habet ad intelligendum, non est habitus realiter superadditus intellectui divino, sed est ipsemet intellectus divinus, ut habet vim intelligendi infini-

tam. Nec dic per scientiam divinam responderi, qualis sit Deus. Nam inde sequitur tantum scientiam divinam esse qualitatem metaphysicam, hoc est, esse aliquid conceptum per modum qualitatis. Quod verum est.

R E S P O N S I O III.

Scientia divina est absque omni compositione mentali.

Prob. Nam compositio mentalis consistit in eo quod intellectus distinctis & inadæquatis conceptibus apprehendat plures terminos, quorum deinde unum de altero neget vel affirmet per actum judicativum. Atqui talis compositio repugnat Deo, quia dicit actuum pluralitatem & successionem, quæ repugnant ideæ entis, quo nihil melius esse & cogitari potest; cum excludant aliquid melius, nempe modum intelligendi per unicum & simplicem intuitum. Ergo, &c.

R E S P O N S I O IV.

Scientia Dei non est discursiva. Ita S. Thom. q. 14. art. 7. in O.

Prob. Nam, ut ait S. Thomas hic, *in scientia nostra duplex est discursus: unus secundum successionem tantum, sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud. Alius discursus est secundum causalitatem, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum*; ita ut cognitio principiorum sit causa cognitionis conclusionum. Atqui neuter concursus convenit Deo. Non primus. Deus enim habet quiddam melius est, & melius est cognoscere omnia simul, quam successivè cognoscere. Præterea, cum Deus sit infinite perfectus in genere intelligentis, quia hoc manifestè pertinet ad rationem entis, quo nihil melius esse & cogitari potest, omnino completus est ad simul cognoscendum omne cognoscibile, proindeque non potest non cognoscere simul omne cognoscibile. Unde S. Augustinus lib. 15. de Trinitate c. 14. rectè ait de Patre & Filio in divinis: *Omnia, quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt, non particulatim, aut singillatim, velut alternante conspectu, hinc illuc, & inde huc, & rursus inde vel inde, in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia: sed ut dixi, simul omnia videt, quorum nullum est, quod non semper videt.*

Denique ita ratiocinatur S. Thomas hic. Quæ cognoscuntur per unum medium, cognoscuntur simul. Atqui omnia, quæ cognoscit Deus, cognoscit per unum medium, nempe per suam essentiam. Ergo, &c. *Multa, inquit, quæ successivè intelligimus, si unumquodque eorum in se ipso consideretur, omnia simul intelligimus, si in aliquo uno ea intelligamus, puta si partes intelligamus in toto, vel si diversas res videamus in speculo. Deus autem omnia videt in uno, quod est ipse. Unde simul & non successivè omnia videt.*

Non etiam secundus discursus convenit Deo. Nam 1. ut ait S. Thomas hic, *secundus discursus presupponit primum, Deo repugnantem: procedentes enim à principiis ad conclusiones, non simul utrumque considerant.* 2. ut ibidem pergit S. Doctor, *discursus talis, nempe secundus, est procedentis de noto ad ignotum. Unde manifestum est, quod quando cognoscitur primum, adhuc ignoratur secundum, & sic secundum non cognoscitur in primo, sed ex primo.* Terminus verò discursus est, quando secundum videtur in primo, resolutis effectibus in causas, & tunc cessat discursus. Unde cum Deus effectus suos in se ipso videat sicut in causa, ejus cognitio non est discursiva. Ex his autem breviter argumentor. 1. Ille non discurret, qui non procedit de noto ad ignotum. Atqui Deus non procedit de noto ad ignotum: nam procedens de noto ad ignotum, aliquandiu ignorat: ignorantia autem in Deum cadere non potest, quia manifestè repugnat ideæ entis, quo nihil melius cogitari potest. Ergo, &c. 2. Ille non discurret, qui semper est in termi-

termino discursus. Atqui Deus semper est in termino discursus. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam Deus semper cognoscit conclusiones in principiis, & effectus in causis; ita ut Deus semper eadem indivisibiliter cognitione principium, & in principio conclusionem, item semper eadem indivisibiliter cognitione causam, & in causa effectum cognoscat. Unde in Deo cognitio principii, vel causae, non causat cognitionem conclusionis, vel effectus in Deo, sicut in nobis causat. Hinc cognoscimus conclusionem, vel effectum ex principio, vel ex causa, non item Deus. *Effectus causarum creaturarum*, inquit S. Thom. hic ad 3. *videt quidem Deus in ipsis causis, multo melius quam nos: non tamen ita quod cognitio effectuum causetur in ipso ex cognitione causarum creaturarum, sicut in nobis.*

RESPONSIO V.

Scientia divina non pendet à potentia physice effectrice, & receptiva illius. Datur tamen in Deo intellectus propriè dictus, à quo scientia divina, non reali distinctione, sed logica inadequata distinguitur, & à quo realiter est suo modo actus, quo Deus cognoscit.

Prob. 1. pars. Nam si scientia divina penderet ab ejusmodi potentia, & ita si daretur ejusmodi potentia in Deo, scientia divina esset actus à Deo realiter distinctus, daretur in Deo potentia passiva, intellectus divinus realiter perficeretur per aliquid à se realiter distinctum: actus enim vitalis perficit potentiam, cujus est actus. Conf. secundum omnes partes manifestè repugnat Deo. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia 1. datur in Deo verè & propriè virtus intelligendi: hæc enim virtus locum habet inter virtutes simpliciter simplices, quarum nulla carere potest Deus. 2. Deus verè & propriè intelligit. Ergo verè & propriè habet facultatem intelligendi: valeret enim ab actu ad potentiam. Atqui nomine intellectus non aliud intelligimus, quam virtutem & facultatem intelligendi. Ergo, &c.

Prob. 3. pars. Nam si intellectus distingueretur realiter à scientia divina, scientia divina penderet à potentia physice effectrice, & receptiva illius. Falsum conf. ex 1. parte. Ergo, &c. Superest igitur, ut intellectus divinus à scientia divina logicè tantum distingatur. Hæc logica distinctio ex parte scientiæ divinæ est tantum inadequata. Ratio est, quia cum scientia divina sit purus modus intellectus divini, & purus modus sit etiam in sensu formali subiectum, cujus est modus, licet cum addito, non potest etiam in sensu formali distingui ab eo, nisi inadequatè, nempe secundum purum illud, quod ei superaddit.

Prob. 4. pars. Nam actus, quo Deus cognoscit, est actus vitalis. Quicumque enim cognoscit, cognoscendo agit vitaliter, seu, quod idem est, vivit in actu secundo. Atqui omnis actus vitalis est à potentia vitali, quam denominat. Ergo actus, quo Deus cognoscit, est ab aliqua potentia vitali, nempe intellectu divino, quem denominat intelligentem. Actus autem, quo Deus cognoscit, est ab intellectu divino realiter, quia præcisè intellectus divinus cognoscendo verè & propriè agit vitaliter, non quia producit, & in se recipit aliquid, nempe speciem expressam objecti cogniti. Unde actus, quo Deus cognoscit, sive scientia divina, non est aliud, quam vitalis & purus modus se habendi intellectus divini advertentis, percipientis, & vitaliter attingentis objectum purè, hoc est, sine productione speciei, per quam advertat, percipiat, & vitaliter attingat objectum. Hinc scientia divina non est aliud, quam pura advertentia & percipio intellectus divini, qui hic in obliquo non ponitur, nisi grammaticaliter. Hinc scientia divina non est aliud, quam ipsemet intellectus divinus, se ipso, & nullo sibi superaddito, advertens & percipiens, atque advertendo & percipiendo vivens in actu secundo, seu vitaliter agens, & vitaliter agendo activè seipsum modificans purè. Hinc

intellectus in genere non est aliud, quam vis advertendi, vis percipiendi, vis attingendi vitaliter, vis se ipsum vitaliter modificandi, sive hoc fiat per expressionem imaginis objecti, ut Peripatetici docent contingere in intellectu creato, sive hoc fiat per actionem purè modificativam, nulla objecti imagine expressa, & in intellectu cognoscente recepta.

RESPONSIO VI.

Scientia divina est etiam independens ab omni specie impressa, & motivo propriè dicto.

Prob. 1. pars. Species impressa est qualitas physica, objecti vicaria, ad objecti cognitionem concurrans, recepta in intellectu, quem complect. Sed talis qualitas manifestè repugnat Deo, qui summam habet simplicitatem, in quo neque substantialis, neque accidentalis compositio locum habere potest, qui in cognoscendo planè independens est à concursu cujuscumque alterius qualicumque modo ipsi cooperantis, & cujus intellectus se ipso ad cognoscendum omne cognoscibile completissimus, respuit omne complementum sibi superadditum. Hæc enim omnia sunt de ratione entis, quo nihil melius esse & cogitari potest. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Nam omne motivum propriè dictum habet essentialem ordinem ad mobile, & ita motivum propriè dictum non potest esse sine mobili. Atqui intellectus divinus non est mobilis. Ergo, &c. *Prob. min.* Quia illud non est mobile, quod semper est in termino motus, sicut, ut supra dictum est, illud non est discursivum, quod semper est in termino discursus. Atqui intellectus divinus semper est in termino motus: nam semper & pro semper cognoscit omne cognoscibile omni modo, quo, seclusis imperfectionibus, cognosci potest; quia semper & pro semper ad id ex se determinatus & completissimus est; cum sit infinitus ex omni parte in genere intelligentis. Ergo, &c.

Potest tamen dici essentia divina, modo quodam excellentissimo, & seclusis imperfectionibus omnibus, fungi officio speciei impressæ, & motivi respectu intellectus divini, & quatenus radix est infinitæ perfectionis, quam habet intellectus divinus in ratione intelligentis, vi cuius essentialiter determinatus & completus est ad intelligendum omne intelligibile modo perfectissimo, hoc est, independentem ab omni alio realiter complente, aut movente ad intelligendum; & quatenus clarè in se visa cum omnibus suis attributis & modificationibus, velut speculum intellectui divino videnda exhibet cætera omnia cognoscibilia, vel quia est causa effectiva illorum, vel quia est eorum idea objectiva, aut etiam formalis, vel quia eorum speciem & impressam & expressam eminenter in se continet, vel denique propter quemcumque alium ordinem transcendentalem, quem habet ad illa.

RESPONSIO VII.

Scientia divina est omnino certa & evidens. Est de fide.

Prob. 1. ex Script. Nam Eccli. cap. 23. dicitur: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditis parvis.* Quibus verbis scientiæ divinæ claritas & certitudo luculentissimè exprimuntur. 2. Evidentia & certitudo scientiæ sunt perfectiones simpliciter simplices, quibus proinde si careret Deus, non esset, quidquid melius est esse. 3. Si scientia Dei non esset evidens & certa, esset mera opinio & conjectura. Atqui opinio & conjectura cadere non possunt in ens, quo nihil melius esse, vel cogitari potest. Ergo, &c. Unde S. Augustinus tract. 37. in Evang. Joannis dicit: *Cum dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

RESPONSIO VIII.

Scientia divina est infinita, aeterna, & immutabilis. Est de fide.

Prob. 1. pars. 1. ex Script. Nam Plal. 146. dicitur: Sapientia ejus non est numerus. Ex quibus verbis sic ratiocinatur S. Augustinus lib. 12. de Civ. c. 18. Absit ut dubitemus, quod ei notus non sit omnis numerus, cujus intelligentia, sicut in Psalmo canitur, non est numerus. Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentia non est numerus. Quare si infinitas numerorum scientia Dei, qua comprehenditur, esse non potest infinita, qui tandem nos sumus hominuli, qui ejus scientia limitem figere praesumamus? 2. Ratione. Quia omni scientia finita potest cogitari aliquid melius in ratione scientia. At nihil, quo aliquid melius cogitari potest in aliqua ratione, potest convenire enti, quo nihil melius cogitari potest in ulla ratione. Ergo, &c. Præterea, ens, quod supremum & perfectissimum existendi gradum obtinet, non potest non habere vim intelligendi ex omni parte in sua ratione illimitatam, proindeque non potest non habere scientiam ex omni parte infinitam. Atqui Deus est illud ens. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. 1. ex Script. Nam Proverb. cap. 8. Sapientia divina de se ipsa dicit: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, &c. 2. Ratione. Nam ab aeterno & pro aeterno cognoscit, quidquid cognoscit. Ergo, &c. *Prob. ant.* Intellectus divinus, quia infinite perfectus est in sua ratione, ab aeterno & pro aeterno completus & determinatus est ex se ad cognoscendum omne cognoscibile.

Prob. 3. pars. 1. ex Scriptura. Nam in epist. Jacobi cap. 1. de Deo dicitur: Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. 2. ex S. Augustino lib. 2. ad Simplicianum quaest. 2. ubi ita loquitur: Cum de imperio de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam a cogitatione in cogitationem; cum... de parte in partem crebris recordationibus transibimus... cum ergo hoc cuncta detrahero, & reliquero solam vivacitatem certe atque inconcussa veritatis, una atque aeterna contemplatione cuncta collustrantis... imò non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitaverò; insinuat mihi utrumque scientia Dei. Ex quibus sic argumentor. Ille intellectus habet scientiam invariabilem, qui nec transit, nec transire potest a cogitatione in cogitationem, sed propter infinitam perspicaciam & activitatem, una & aeterna contemplatione cuncta certò & inconcussè collustrat. At talis est intellectus divinus: alium enim esse repugnat intellectum entis, quo nihil melius esse, & cogitari potest. Ergo, &c. *Confirm.* Quia illa scientia invariabilis est, quæ nec minui, nec augeri potest, sed semper & pro semper eadem omnino manet. Atqui talis est scientia divina: cum Deus ab aeterno & pro aeterno cognoscat omne cognoscibile omni modo, quo potest cognosci, seculis imperfectionibus. Ergo, &c.

Obj. 1. Potest Deus scire plura, quam sciat: nam potest plura facere, quam faciat; & si plura faceret, plura sciret, non quidem scientia simplicis intelligentiæ, quæ semper novit omnia omnino, quæ sibi possibilia sunt; sed scientia visionis, qua intrinsece omnia, quæ facit. Ergo scientia divina augeri potest, & consequenter variari. R. n. ant. Cum enim propriè loquendo, ille solus & omnis plura sciat, quam antea sciebat, qui antea nescivit aliqua, quæ postea scit; ille solus & omnis, propriè loquendo, potest plura scire, quam sciat, qui potest aliqua nescire pro aliquo tempore, & eas scire pro alio subsequenti. At hoc repugnat Deo, qui ab aeterno & pro aeterno scit quidquid sit, aut scire potest, qui ab aeterno & pro aeterno omnia omnino possibilia per scientiam simplicis intelligentiæ, omnia omnino futuribilia per scientiam conditionalium, omnia omnino præterita, præsentia, & futura, per scientiam visionis novit.

Hanc responsionem suggerit S. Thomas hic q. 14. ar. 15. ad 2. Si aliquid esset, quod prius Deus nescivisset, & postea sciret, esset ejus scientia variabilis. Sed hoc esse non potest: quia quidquid est, vel potest esse secundum aliquod tempus, Deus in aeterno suo scit. Et ideo ex hoc quod ponitur aliquid esse secundum quodcumque tempus, oportet poni, quod ab aeterno sit scitum a Deo. Et ideo non debet concedi, quod Deus possit plura scire, quam sciat, quia hæc propositio implicat, quod ante nesciverit, & postea sciat. Quod de Deo dici non potest, qui in præsentis hypothese rerum, quam elegit, ab aeterno scit, quidquid re ipsa decrevit facere; & in alia possibili, in qua plura facere decrevisset, plura illa ab aeterno & pro aeterno sciret.

Obj. 2. Deus aliàs scivit v. g. Christum esse nasciturum, nunc verò non scit esse nasciturum, quia Christus nasciturus non est. Item aliàs scivit esse nasciturum; nunc verò scit esse natum. Ergo scientia divina variatur. R. Deum ab aeterno & pro aeterno uno & eodem actu scire hanc propositionem, Christus nasciturus est, veram esse pro ea differentia temporis, pro qua Christus nondum natus erat, & falsam esse pro alia, pro qua Christus jam natus est. Item Deum ab aeterno & pro aeterno, uno & eodem actu invariabiliter scire Christum esse nasciturum pro tali differentia temporis, nasci pro illa, natum esse pro ista. Non enim in Deo fuerunt aut esse poterunt plures actus successivè, quorum uno sciverit Christum nasciturum esse, quando nasciturus erat, alio nasci, quando nascebatur, & alio natum esse, quando natus est. Unde objectum scientiæ divinæ, non ipsa scientia divina, variari potest.

RESPONSIO IX.

Scientia divina est formaliter judicativa.

Prob. Nam actus, quo mens certificatur de veritate rei, & in ea conquiescit, est judicium. Atqui talis est omnis actus, quo Deus cognoscit: nulla enim cognitio divina est purè apprehensiva; quia cognitio purè apprehensiva imperfectè tantum repræsentat objectum suum, cum non repræsentet illud, quantum est repræsentabile, & intellectus purè apprehendens veritatem inter & falsitatem rei suspensus hæreat: quod repugnat intellectui infinite perfectò in sua ratione, qualis est intellectus divinus, quem proinde necesse est actu quo cognoscit objectum aliquod, illud perfectè cognoscere, & quantum est cognoscibile, proindeque de illius veritate planè certificari, per actum suum attingendo illud, ut in se est, sibi que dicendo quid sit, quale sit, quantum sit. Quod fieri potest absque ulla imperfectione.

Obj. Judicium non est in nobis absque imperfectione. Ergo nec in Deo. R. n. conf. Disparitas est, quia judicium non est in nobis sine compositione mentali terminorum. Nam v. g. cum judicamus Deum esse omnipotentem, vel singulis actibus apprehendimus singulos terminos, quos deinde per actum judicativum componimus, cum dicimus, Deus est omnipotens: vel uno actu ambos terminos apprehendimus, & per alium actum unum terminum alteri attribuiamus, cum apprehendentes unico actu Deum omnipotentem, per alterum dicimus: Ita est. At judicium in Deo est absque omni compositione. Nam in Deo judicium est simplex intuitus rei, ut in se est; quo res videtur, ut in se est, quantum videri potest; quo res, ut in se est, videtur infinita claritate; & quo proinde absque omni pravia apprehensione, vel compositione terminorum, intellectus divinus summe certificatur rem esse id, quod est, & non aliud, sicut oculus simplici visione, absque omni compositione vel divisione certificatur, parietem esse hujus coloris, & non alterius.

QUÆ.